



# Bartholomaei de Moor van Immerzeel De studii genealogici praestantia oratio ...

<https://hdl.handle.net/1874/214710>

BARTHOLOMAEI DE MOOR  
VAN IMMERZEEL

D E

STUDII GENEALOGICI  
PRAESTANTIA

# ORATIO,

HABITA A. D. XXII. DECEMBER.

CICCI CC XL.

CUM PUBLICO AMPLISSIMORUM SCHOLAE GOU-  
DANAECURATORUM DECRETO AD AL-  
TIORAACADEMIARUM SUBSEL-  
LIA PROVEHERETUR.



G O U D A E ,

Typis GULIELMI ET JOANNIS VAN ESCH.



NOBILISS. AMPLISS. CLARISSIMIS  
AC. SPECTATISSIMIS  
VIRIS

GVALTHERO. DE MOOR  
VAN. IMMERZEEL

M. D. CIVITATIS. GOVDANAЕ. SENATORI. AC. CVM. MAXIME  
COS. EJVSDEMQVE. AVCTORITATE. QVONDAM. IN. COLLEGIVM  
EORVM. QVI. RES. AERARII. AVSTRALIS. HOLLANDIAE. CV-  
RANT. ADSCRIPTO. TELONIO. COMITATVS. HOLLANDIAE  
PRAEFECTO. Etc. Etc

PARENTI. OPTIMO. INDVLGENTISSIMO  
OMNI. HONORE. OBSEQVIO. PIETATE  
AETERNVM. PROSEQVENDO

CORNELIO. SIEBEN

J. V. D. EJVSDEMQVE. FACVLTATIS. IN. INLVSTRI. AMSTELAE-  
DAMENSIVM. ATHENAEO. ANTECESSORI. ORDINARIO. Etc. Etc  
PATRVO. SVO. PER. ADFINITATEM. JVNCTO  
OMNI. HONORIS. CVLTV. VENERANDO.

HENRICO. VAN. DER. LANEN

J. V. D. FLORENTISSIMAE. ROTERODAMENSIVM. CIVITATIS  
QVONDAM. JUDICI. Etc. Etc

ADRI-

**ADRIANO. VAN. DER. LANEN**

MERCATORI. ROTERODAM. FLORENTISSIMO. ETC. ETC

AVVNCVLIS. QVA. DECET. OBSERVANTIA  
COLENDIS

**CORNELIO. ARCKENBOVDT**

CIVITATIS. GOVDANAЕ. SENATORI. AC. QVONDAM. JUDICI  
ETC. ETC

**HENRICO. VOCKESTAERT**

J. V. D. MAGISTRATIBVS. REIP. DELPHENSIS. AB. ACTIS. ET. TA-  
BVLIS. PVBLICIS. ETC. ETC

**EGBERTO. EDENS**

ROTERODAMENSIVM. MERCATORI. INTEGERRIMO. ETC. ETC

AVVNCVLIS. PER. ADFINITATEM. JVNCCTIS  
NVMQVAM. NON. SVSPICIENDIS

IN. MEMORIAM

LIBERALIS. EDVCATIONIS

SIMVL. VT. SE. SVAQUE. COMMENDARET

HOC

QVALEGVMQVE. PIETATIS. MONVMENTVM

CVM. AMPLIUS. HABERET. NIHIL

TENVI. PECVLIO. DIVES

P

BARTHOLOMAEVS. DE. MOOR

VAN. IMMERZEEL

BARTHOLOMAEI DE MOOR  
VAN IMMERZEEL

ORATIO  
DE  
STUDII GENEALOGICI  
PRAESTANTIA.

STRENUISSIME AC GENEROSISSIME PRAETOR.  
AMPLISSIMI, SANCTISSIMI, PRUDENTISSIMI REIPUBLICAE  
GOUDANAEC CONSULES, JUDICES, SENATORES.  
GYMNASII CURATORES GRAVISSIMI, BENIGNISSIMI.  
QUI MAGISTRATIBUS AB ACTIS ESTIS, VIRI SPECTATISSIMI.  
SACRORUM LIBRORUM INTERPRETES FACUNDISSIMI, FIDE-  
LISSIMI.  
OMNIUM ARTIUM AC SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTIS.  
SIMI, EXPERTISSIMI, ACUTISSIMI.  
ADMODUM VENERANDE RECTOR.  
PRORECTOR, CETERIQUE PRAECEPTORES DOCTISSIMI.  
LECTISSIMA STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, COMMILI-  
TONES MEI DILIGENTISSIMI, JUCUNDISSIMI.  
QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS CUJUSCUMQUE GRADUS,  
ORDINIS AC DIGNITATIS AUDITORES EXOPTATISSIMI.

  
Iberales Artes ac Scientias homi-  
nibus omnibus ac singulis, toti-  
que adeo generi humano lon-  
ge utilissimas esse, nemo sanae  
mentis ibit inficias. Inveniun-  
tur tamen plurimi, nescio quo  
malo sidere adflati, qui eas, non dicam parvi  
A pen-

2 O R A T I O.

pendere , sed data , si Dis placet , opera contemnere , ac turpi supercilio despicere non dubitant . Neque id valde mirum , Auditores , cum major semper in peritorum hominum sit copia , quam eorum , qui artes studiaque liberalia excoluerunt , in iisque adsequendis operam atque industriam suam collocarunt .

Nemo igitur , credo , mirabitur , si et inperitis studium , quod Genealogicum dicitur , communi fere omnium Artium ac Scientiarum fato , sed maxime deplorando , vile habeatur , aut plane etiam a stupido ac rustico hoc hominum genere , ne gravius quid dicam , fastidiatur .

Haec ipsa res , AA. HH. , stimulum mihi addidit , ut , quum essem de argumento Orationis ad Vos habendae sollicitus , dictum hoc studium feligerem , ejusque praestantiam commodis , quae mihi visa , argumentis ex Historia , tum Sacra , tum Profana petitis , quam brevissime fieri possit , omnibus commendare constituerem .

Vos igitur , Nobilissimi , Amplissimi , doctrinaque atque eleganti quavis eruditione conspiciui Viri , Vos , inquam , debita veneratione oro atque obtestor , ut lenes animos facilesque pero-

## O R A T I O . 3

peroranti adcommodetis aures , nostrumque hunc conatum non ex re , sed ex aetatis nostrae inbecillitate ingeniique tenuitate aestimare velitis.

De voce autem *Genealogia* , in ipso Orationis limine prolixè disquirere , plane , ni fallor , supervacaneum erit. Quis enim inter Doctos ignorat , γενεαλογία generis sive familiae recensionem significare , adeoque vi vocis notare hominum , praesertim Inlustrium , qui a communi aliquo stipite per distinctas stirpes descendunt , enumerationem , ut stemmatum origo et eorum gradus adnationis et cognationis cognosci ac distingui queant.

Ut autem ordine quodam haec nostra decurrat Oratio , praestantiam studii Genealogici optime , si quid video , primo ex ipsius Antiquitate , tum nobilitate Materiae , ac denique Utilitate demonstrabimus.

Antiquitatem cum ex Sacra tum Profana Historia arcessimus. Primus omnium et vetustissimus Historiae Sacrae conditor Moses est , qui tam adcurate primorum Parentum descripsit Genealogiam , ut absque hac et progeniem generis hu-

## 4 O R A T I O.

mani , et tempora , quibus vixere ignoraremus . Chronologis quoque deessent fundamenta certa annos ab orbe condito ad diluvium computandi . Ex illa enim Patriarcharum Genealogia aetatem mundi , quae diluvium antecedit , illi , qui tempora computant , demonstrant . Immo Eruditissimus Bochartus ex filiorum Noachi et Schemi Genealogiis propagines ac dispersiones Gentium , in libro , qui Phaleg inscribitur , dedit .

Hoc Mosis exemplo excitati , illudque secuti Judaei , summam huic studio operam navarunt , ac servandae Familiarum suarum memoriae causa adcuratissimas non tantum Genealogias contexuerunt , sed insuper eas in Templi Hierosolymitani Archivis reposuerunt , ut hoc modo gentis suae nobilitatem , quam cum extraneis conubio jungi aversabantur , conservare , factisque porro extendere possent .

Floruit hoc studium Judaeorum Genealogicum ad id temporis usque , quo Herodes Antipatri filius , regiam dignitatem adeptus est . Qui cum esset gente Idumaeus , minusque Inlustri Familia ortus , Nobilium Familiarum antiqua monumenta igne consumsitus , ne generis sui obscuritas

# O R A T I O. 5

ritas forte ipsi a Judaeis exprobrari posset. Quamvis alii statuant, non aliam ob caussam hoc ab Herode factum esse, quam ut sibi liberum esset, quem vellet summum Sacerdotem constituere; requirebatur enim, ut, qui summo Sacerdotio apud Judaeos fungi vellet, Matrem natum se Hebraea probaret, ideoque Herodem, ut pro voluntate summum Sacerdotem creare, Judaeorumque natales incertos atque obscuros reddere posset, monumenta ea, quae dixi, Genealogica Vulcano consecrassæ.

Neque vero tantum Judæi, sed ipsi etiam Euangelistæ hoc studio maxime delectati sunt. Hi certe in Christi, Servatoris salutisque nostræ Auctoris Historia Stemma Ipsius maternum ex Genealogia Hebraeorum deduxerunt, ut de Stirpe Messiae, a Divinis Viris praedicta, Judæis, pertinacissimis mortalium, constare posset. O præclaræ, o omnium votis expetenda Scientia! o Divina Genealogia, quam Tu coelestis Sapientiae obtines plurimum!

Videtis, mecumque cognoscitis, Auditores, neminem in Historia Sacra feliciter versari posse, nisi qui notitiam laudati admodum hujus studii

## 6 O R A T I O.

multo etiam labore sibi adquisiverit. Quamobrem nihil agunt, ideoque haudquaquam audiendi, qui verba Divi Pauli, suadentis: *ne intenderent fabulis ac genealogiis*, nobis objiciunt; immo studium hoc cane pejus et angue idcirco vitandum esse falso calumniantur. Quis enim non videt, Paulum his verbis Graecos respicere, qui de Theogoniis mera commenta, Christianis inutilia, spargebant, unde inter eos vanae agitabantur contentiones: seu, quod potius crediderim, Apostolum digitum intendere in Judaeorum Ephemerides et domestica de Familiarum ac natalium suorum antiquitate documenta incerta ac corruptae fere fidei, unde deficienibus, quae litem dirimerent, monumentis, convicia saepe, jurgia ac lites inter eos exorriebantur, ita ut haud inmerito Apostolus, *ne intenderent fabulis ac genealogiis*, suadere videatur. Hoc autem ad universam hujus Studii extendere scientiam absurdum admodum est.

Nec minus in profana Historia Graecos et Romanos curam in perscrutandis Familiarum originibus inpendisse libri ipsorum de his rebus conscripti testantur ac clamant. Apud Graecos

Epi-

## O R A T I O.

7

Epimenides , Pherecydes , Asius , aliquae Genealogiae scriptores commemorantur. Immo Simonides , cognomine Melicertes tres Genealogicos libros , Suida teste , scripsisse perhibetur. Nec tacuit is Philoxenum , qui Aeacidarum Stemma recensuit. Inter Romanos autem Varro olim de Familiis scripsisse dicitur. Pomponius Atticus , si fides Cornelio Nepoti adeo adcurate Familiarum Romanarum originem subtexuit , ut ex eo libro Clarorum Virorum propagines cognosci atque enumerari potuerint , notans , qui a quo ortus , quos honores , quibusque temporibus cepisset. Sic Marcellorum , Fabiorum , Aemiliorum aliorumque Genealogias longo syrmati verborumque peplo intexuisse narratur. Marcum quoque Valerium Messalam de Romanis Familiis multa collegisse ac notasse testatur Plinius. Quiritibus sane , Romuleo huic Populo in primis studium Genealogicum curae suisse vel inde etiam adparet , quod Majorum suorum fumosas colerent imagines , easque in atriis positas per lineas , natalium gradus , notarent. Ipsum denique Ciceronem Clarorum Virorum Genealogias scripsisse , Epistola ipsius ad Paetum , qua. Pa-  
pirii:

## 8 O R A T I O.

pirii Mugillani Stirpem commemorat , neminem dubitare finit . Ast dolendum est , pleraque hujus generis volumina , eaque de meliori nota dudum periisse . Solatum tamen aliquod adfert , quod quodammodo in recentiorum scriptis Antonii Augustini de Familiis Romanorum , Richardi Streinii aliorumque Stemmatia Gentium et Familiarum Romanarum continentibus haud spernenda veteris Genealogiae pars superfit . Haec autem scripta non solum Inlustrium Vironum a prima Urbis origine Familias atque aetas , sed etiam Magistratus atque honores , quos gessere , eorumque res gestas ex Veterum scriptis collectas complectuntur .

Et sane cura haec Familiarum apud Romanos vel maxime necessaria fuit , ut nimirum Patrici a Plebejis discernerentur ; Romulus enim , ut notum est , Populum universum in duas partes divisit , cum qui genere , opibus , potentia atque auctoritate plurimum possent , rerumque gestarum gloria excellerent , Senatores constitueret , Patresque eos honoris ac virtutis caussa adpellaret ; reliquos vero , qui rebus modo enumeratis minus valerent , Plebejos ; illos Remp. administrat-

## O R A T I O. 9

strare , Magistratus gerere , auspicia , sacra et  
id genus alia obire : hos agros colere , atque ar-  
tibus lucrum adferentibus , negotiationibus , mer-  
caturis similibusque operam dare : illos Patro-  
nos , hos Clientes esse voluit . Equitum autem  
Ordinem paullatim constitutum fuisse , lippis  
quoque ac tonsoribus notum , adeoque splendi-  
dissimo huic Nobilissimorum Virorum Panegyri  
parum convenientem materiam existimamus .  
*Patres* igitur aetate et generis splendore ante-  
cellentes munere Senatorio fungebantur . Ho-  
rum autem progenies *Patricii* , eorumque Fa-  
miliae apud Romanos clarae atque excellentes  
*Plebejis* merito opponebantur , immo , ut ho-  
die Nobiles fere solent , Familiarum olim splen-  
dorem , antequam connubia , sacra atque au-  
spicia cum Plebejis essent communicata , solli-  
cite servarunt ; credebant enim pollui ac con-  
taminari nobilitatem Familiae , si inlustri loco  
nati conditionis humilioris inirent matrimonia .  
Quamvis inde colligere nolim , si forsan liberi  
matrimonium minus ex votis Parentum contra-  
xissent , ipsos iis ignoscere nescivisse . Legi-  
mus apud Livium , Matronas Virginiam quam-

B dam ,

## 10 O R A T I O.

dam, Auli filiam, eamque Patriciam, Plebejo nuptam, quod e Patribus enupsisset, sacris arcuisse. Inde quoque desumpta occasio fugillandi hostem Antiochum Regem, quod is amoris caussa ex domo privata, et obscuri etiam inter populares generis uxorem duxisset.

Ex his jam, quae hactenus disputavimus, clarissime patet, Auditores, non tantum Ju-daeos, sed Graecos quoque et Romanos Studio Genealogico in primis operam dedisse. Si nunc de Gallis et Germanis, monumentisque illorum Genealogicis verba facere instituerem, maxime haec nostra exsultare posset oratio. Sed cum temporis angustiis urgeor, atque inquis spatiis excludor, alterum Praestantiae hujus Studii argumentum, quod a nobilitate rerum petitur, brevissime, ne patientia vestra, HH. AA. abuti videar, et sine ulla circuitione exponam.

Quid quaequo in Historia inlustre magis atque eximum est, quam scire Heroum, Regum, Principum atque praecclare de Rep. meritorum Virorum Stemmatu, in quibus conservandis ac propagandis Divina quoque providentia eluxit. Divinae namque bonitatis documentum clarae

Fami-

## O R A T I O . II

Familiae praebent. De hac ipsa autem Summi Numinis benignitate non aliunde , quam ex Historia Genealogica , quae memoriam Stemmatum Inlustrium a Deo prosectorum conservat , constare potest. Quapropter nemo , nisi inficetum plane sit ingenium , illam fastidiet , aut ejusdem cultores contemnet. Si enim inanes Gentilium et fictae Deorum Genealogiae sive Theogoniae suos habeant aestimatores , atque etiam laudatores , insaniae proximum , uti censeo , habendum foret , veras Heroum , quos Deus excitavit , Genealogias , ut vile et abjectum Studium despiceret ; non enim hic Plebejorum , sed Nobilium atque Inlustrium Familias , quarum praeclara facta in Historia commemorantur , adcurate descriptas desideramus.

Maxime denique praestantiam hujus Studii commendat insignis utilitas , quae ut distinctius cognoscatur , ipsam per Artes et Scientias varias divagando , nulla verborum pompa nude ac sine ullo oratorio fuso Vobis , exoptatissimi Auditores , ob oculos ponam. Primum in Historia Sacra , ut jam antea vidimus , tum etiam in profana ipsius utilitas commemorabilis est.

B 2

Cum

## 12 O R A T I O.

Cum enim, adserente Polybio, τὸ Γενεαλογικὸν  
praecipua Historiae pars sit, fieri haud aliter  
potest, quin maximum quoque in ista usum praecip-  
pet. Nulla sane res praeclare gesta, sine men-  
tione illorum, a quibus illa profecta sit,  
plene satis laudari potest. Itaque ut sciatur, quis  
aut quae illa Virago sit, Stirps inquiratur, un-  
de genus suum duxerit. Praesertim cum plu-  
res in Historia Viri memorati simili nomine  
gaudeant, qui haud facile, nisi Genealogiae  
subsilio discerni possunt. Nec tantum in Hi-  
storia veteri, sed media etiam ac recentiori  
omnes Eruditi usum ejus uno ore adnoscunt,  
quia Virorum praeclarissimorum res gestae in  
iis recensentur, quorum natales, stemmata,  
adnationum et cognationum gradus hoc Studio  
Genealogico unice cognoscuntur, cuius peritia  
si quis non instructus est, operam vel conscri-  
bendae vel legendae Historiae frustra insumet.  
Quamvis fatendum sit, Viros laboriosissimos,  
quod ad Veterem et Mediam in primis Histo-  
riam attinet, saepe monumentis certis in conte-  
xendis Genealogiis destitutos fuisse. Unde haud  
raro evenit, ut series Principum atque Heroum,  
quos

# O R A T I O. 13

quos longo ordine recensent, manca aut incerta  
esse videatur.

Recentioris tamen Historiae Genealogicae certiora suppetunt documenta. Quandoquidem Principes atque Inlustres Viri vel ipsi Stemmata sua in Archivis conservaverint, vel a Viris Eruditis in commentarios transferri curaverint. Maximiliano primo certe ea laus p<sup>r</sup>ae reliquis debetur, quod, ut ipse Historiarum amantissimus fuit, Genealogiae Studium, cuius usum atque utilitatem probe perspexerat, ante haec duo fere secula iterum excitaverit, unde ab eo tempore multi Clarissimi Viri existiterunt, qui in perscrutandis Nobilissimarum Familiarum originibus haud infelici opera industriam suam collocarunt. In his maxime excellunt Lazii, Imhoffii, Ritterschusii, et, qui hodie de his literis p<sup>r</sup>aeclare meretur, Cl. Drakenborchius, splendidissimum illud Trajectinae Academiae fidus. Cujus Viri Eruditissimi labores, ut bonis aliquando auspicis in lucem prodeant, vehementissime vovemus ac precamur.

In Civili porro prudentia, quando de Inlustrium Familiarum ortu, de adnationum ac co-

## 14 O R A T I O.

gnationum gradu vel jure successionis quaeritur, opus etiam esse Scientiae Genealogicae subsidio, quis neget? cum controversiae inter Nobiles ortae Familias inde determinari debeant. Usum hunc plurimis Inlustrium Familiarum exemplis, si mihi prolixo esse liceret, ex Historia Civili comprobare possem. Quapropter omnes prudentiores Politici hanc etiam ob caussam Studium Genealogicum quam maxime necessarium esse, sapienter judicarunt. Ita ut et hic illud Jureconsultorum scitum locum obtineat: parvi nempe momenti esse jus nosse, si personae, quarum caussa constitutum est, ignorentur.

Oratores quoque, haud parum se Studio Genealogico debere, quorum sententiae haud difficulter subscribo, palam profiteri minime gravantur. In Orationibus certe Panegyricis, similibusque Inlustrium Virorum elogiis componendis, Natalium origines requiri, cum Majorum res praeclare gestae commoda laudis argumenta Oratori suppeditare queant, omnes, qui umquam Orationes Panegyricas scripsere, optime noverunt. Sed, quid ego Oratores commemo, ,

## O R A T I O. 15

moro , illi qui spiritu adflantur aethereo , in-  
nuo Poëtas , quorum numerum admodum exi-  
guum esse existimo , vel etiam qui carmina  
Poëtarum Panegyrica legunt , Genealogiae  
peritia carere se non posse ingenue fatentur ;  
hinc enim non tantum majus Heroibus suis de-  
cuss conciliant , sed ipsis etiam Majorum Inlu-  
strium virtutum exempla in memoriam revo-  
cant , quae imitari bene natos fas est , si glo-  
riam Familiae suae conservare , augere , faētis-  
que suis extendere cupiant . O praeclaram Gene-  
alogiae Scientiam , in rebus egregiis ac sublimi-  
bus immo Divinis versatam , atque amicissima  
Artium ac Disciplinarum praestantissimarum co-  
gnatione decoratam ! O Artem omnium laudi-  
bus celebrandam !

Ut vero obscura ac perversa sunt hominum  
ingenia , tantum saepe adfectibus pravisque cu-  
piditatibus , mentisque incertae libidinibus tribui-  
tur , ut , qui omnia conservat , modum , mo-  
dnm inquam servare , adeoque quid deceat ,  
quid utile sit satis discernere nequeant . Hinc  
illa vanitas atque intemperantia Poëtarum , qui  
olim in hoc scribendi genere nimium sibi in-  
dul-

## 16 O R A T I O.

dulgentes Theogonias sive Deorum Genealogias commenti sunt, qui que dum Deorum omnium natales, conjugia, progenies quasi ex tripode canunt ac pronuntiant, raro tamen inter se conspirant. Hinc inepta ac effrenata quorundam Christianorum fingendi licentia, qui Heroicis Magnatum Familiis, nescio, quod decus conciliaturi, ipsorum Stemmatum a Noacho vel Abrahamo derivare non dubitarunt: quasi vero inde splendor Inlustri Viro adcederet, si cum omnibus miseris terrae filiis primum communem habeat parentem. Parum quippe curae istis Genealogiarum architectis est, an in fictitiis generationum gradibus, quos exhibent, aliquot millium annorum intercedant Anachronismi. Ab his enim si tabulas ac certa antiquitatis monumenta requiras, respondent: Veteres ajunt, veteres referunt, veteres perhibent. Quinam vero illi sint, et unde habeant, tum demum, credo, dicere possent, si caput ipsorum, nugis ac somniis repletum, helleboro prius purgaretur. Adnoscite, Auditores, horum hominum stultitiam, arcete vecordiam ac turpem audaciam! Cum Maximiliano I. Imperatori similis

## O R A T I O. 17

lis forte nugator Generis originem ex Noachi progenie deducere pollicitus esset, Aulae Morio illic adstant Imperatori suasit, hoc ne permitteret, ni me Morionem, dicebat homo festivus, ex eadem stirpe prognatum consanguineum tuum velis adnoscere.

Sed hos ineptos homines iratis suis Diis relinquimus. Nam alio me hora revocat, et ex adlatis, ni fallor, argumentis abunde satis de Antiquitate, Nobilitate, summaque Genealogiae Scientiae Utilitate omnibus, quibus sanum adhuc synciput est, constare potest. Vos igitur, sacrata Musis pectora, suavissimi quondam Com militones, Vos, inquam, moneo et hortor, ut hac potissimum aetate Latinam Graecamque linguam ita excolatis, ut Vobis postea aetate progressis studiis severioribus, in iisque etiam Genealogiae, quae mirum quantum reliquias scientias adjuvat, operam haud segniter impendere, insignesque inde fructus domum reportare contingat.

Denique ad Vos, Nobilissimi, atque Amplissimi Viri, Gymnasii Goudani Curatores benignissimi, et quem laetis intueor oculis, Pa-

C

rens

## 18 O R A T I O.

rens indulgentissime , ad Vos mea sese conver-  
tit Oratio. Ferreus sim ! si non maximis Vestris  
beneficiis ornatus gratissimam praeteritarum re-  
rum memoriam retineam. Maxima certe omni  
illo tempore , quo Vestris sub Auspiciis in Inlu-  
stri hac bonae mentis Palaestra ingenium exer-  
cere licuit, favoris atque eximii erga me amoris  
exstiterunt indicia. Sinite Viri Gravissimi haec  
tacitus praeteream , ne beneficiorum cumulo  
pressus propter infirmitatem animi ipso onere  
opprimar. Novissimum vero hoc Vestrae bene-  
volentiae testimonium , quo me non tantum ad  
altiora Academiarum subsellia provehere , sed  
insuper insigni liberalitatis ac munificentiae Ve-  
strae monumento ornare ac condecorare volui-  
stis , has in me voluntatis ac gratae mentis co-  
gitationes excitat , ut neminem melius , quam  
Vos , Viri Amplissimi , virtutem atque indu-  
striam in animis Juvenum excitare , eosque ho-  
nesta aemulatione inflammare posse confidam.  
Ecce Vobis Thaliae nostrae testimonium :

Praecipue quatuor numerabat Graecia ludos ,  
Quis data sunt meritis praemia certa Viris.

Isthmia

O R A T I O. 19

Isthmia victores ornabant ferta quadrigas,  
Tunc quoque si celeri gloria nata pede.  
Pythia Apollineos decorabant poma triumphos,  
Si Victor docta ferret ab arte decus.  
Nemaeos celebrant certamina Gymnica campos,  
Atque apium dignas ornat honore comas.  
Vilis Olympiacis ludis oleaster ovantes  
Cingit, et ingenuum ferta caduca caput.  
Scilicet optatum superabat gloria lucrum,  
Contentus parvo munere Victor erat.  
Vos Proceres, Batavis splendentia Numina terris,  
Et decus et nostrae gaudia prima Scholae,  
Vos melius nostis meritis dare munera, simplex  
Arbor ne dignas ornet, ut ante, comas.  
Pergite Deliacis radiantia praemia palmis  
Addere, et Aoniis ponere dona focis.  
Sic clarum crescat per secla sequentia nomen,  
Quod nescit, sic fas, post pia fata mori.  
Ceterum Tu non requiris, sat scio, Vigilan-  
tissime Rector, nec Tu, Doctissime Prorector,  
qui

qui raro me exemplo per omnes inferiores hujus Gymnasi Classes quasi manu ducere, ac doctrina et salutaribus praeceptis formare non cessasti; Vos, inquam, non requiritis, ut magno verborum ambitu diligentiam Vestram, qua meliorem me reddidistis, celebrem atque extollam: Neque id, si maxime vellem, exiguae vires permetterent. Hoc unum itaque Vos rogo atque obsecro, ne animum inducatis, dum a Disciplina Vestra, saltem Scholastica, dimittor, hunc animum simul remitti ab officio, quo Vobis ob multa beneficia devinctus sum. Vos modo, Viri Doctissimi, servate benevolentiam, qua me semper estis prosecuti, neque ego committam, ut pietatem, quam Vobis debeo, umquam frustra desideretis.

D I X I.



NOBILISSIMO ATQUE INGENUO  
JUVENI  
BARTHOLOMAEO DE MOOR  
VAN IMMERZEEL,  
QUUM,  
STADIO GYMNASTICO FELICITER  
DECURSO, AD PUBLICAS LECTI-  
ONES PRODUCERETUR.



*I mea Pegaseo stillarent labra liquore,  
Cantarem laudes, dulcis Amice, Tuas.  
Concinerem doctas narrantia carmina curas,  
Ingenium et mores, BARTHOLOMAEE, Tuos.  
Ast faciant alii, quorum, sic namque mereris,  
Carmina de facili largius ore fluant.  
Gratulor hinc tantum Tibi, MOORI, parta labore  
Praemia, quae studiis sunt bene digna Tuis.  
Tu modo sic pergas vigiles extendere curas,  
Ut sic ex docto doctior usque fias.*

D. GUL. LESTEVENON,  
COMMILITO.

PRAESTANTISSIMO JUVENI  
BARTHOLOMAEO DE MOOR  
VAN IMMERZEEL,

Q U U M ,

FELICITER HABITA ORATIONE ,  
NON SINE LAUDE E GYMNASIO  
GOUDANO AD ROBUSTIO-  
RUM CERTAMINA  
PRODUCERETUR.



*H* Ora Tibi venit , doctis jucunda Camoenis ,  
Qua fundit dulces lingua diserta sonos .  
O utinam Phoebus sinerent Phoebique Sorores !  
Jam canerem Laudes , BARTHOLOMAEE , Tuas .  
O utinam sacras gustasse Aganippidos undas !  
Quam vellem Socium Te celebrare meum !  
Gratulor eximios , MOORI , quos cernis , honores ,  
Gratulor et capitis laurea ferta Tui .  
Musa jubet finem numeris inponere nostris :  
Ne minuat tantum , dum timet , ipsa decus .

JACOBUS SCHOLTE ,  
COMMILITO.

ORNATISSIMO ADOLESCENTI  
BARTHOLOMAEO DE MOOR  
VAN IMMERZEEL,  
QUUM ITER SCHOLASTICUM EMENSUS,  
HABITA ORATIONE, IN CIVITATEM  
ACADEMICAM ADSCHIBERETUR.



*Eliciae Juvenum, praeclarae gloria Gentis :  
Nec minus insignis curaque spesque Domus :  
Unica Thespia dum, celebras quas rite, Sororum  
Laus et amor : cultae pulcrior Urbis honos :  
Sic Pallas precibus, tantisque laboribus aequa  
Adnuit, officiis officiosa piis :  
Praemia constituit studiis satis ampla probatis,  
Quis nitet ingenium, crescit et usque Tuum.  
Ipsa suum Themidi Divae commendat Alumnum,  
Quae jam sponte sua Matris amore favet.  
Felix o nimium ! doctis dilecte Deabus,  
Quae pascunt subolem, quam peperere, suam.  
Felix o nimium ! tanto qui munere fulges,  
Si dicam meritis conveniente Tuis.  
Te modo sic placidis pergas submittere Divis,  
Nec deërit votis Illa vel Illa Tuis.  
Ominor, ac nostris respondent omina votis :  
Quaesitum Stirpi nomen in Astra feres.*

JOANNES ELIAS BUYS,  
COMMILITO.

AD  
**ELEGANTISSIMUM JUVENEM  
 BARTHOLOMAEUM DE MOOR  
 VAN IMMERZEEL,  
 STUDIUM GENEALOGICUM  
 PUBLICE LAUDANTE M.**



*Ange vocales mea Musa chordas ,  
 Laetaque auratum moderare plectrum ,  
 Grata jam laudes celebrato magnas  
 Dulcis Amici.*

*O decus Goudae ! decus o Tuorum !  
 O decus Patrum ! referant Nepotes ,  
 Et beënt Goudam Patrii Penates  
 Omnibus aevis !*

*Nunc Tibi famae bene serviendum ,  
 Nunc Tibi Musis sapientiaeque.  
 Artibus pectus penitus fovendum :  
 Sic decet usque.*

*Sic rogo , coeptis faveat benignum  
 Numen ! et sanum vegetumque corpus  
 Donet , et sanam vegetamque mentem ,  
 Cunctaque fausta !*

**CORNELIUS VAN VLIET ,  
 COMMILITO.**